

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Dissertatio De iudiciis sanctorum super mundum ad  
Matth. XIX. 28. coll. I. Cor. VI. 2.**

**Foertsch, Michael  
Wucherer, Johann Jacob**

**Ienae, 1721**

Epistola ad dominvm respondentem

[urn:nbn:de:bsz:31-130277](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-130277)

CONSPICUAT EPISTOLA  
AD  
DOMINVM RESPONDENTEM



Ipsē Auctor es, Nobilissime WUCHERERE præsen-  
tis Instituti, quod profluxit ex Amore Tuo erga  
Patriam, dum in memoriam revocasti incompara-  
bile beneficium Divina Gratia Vobis exhibitum in  
Reformatione B. LUTHERI, qua Lux Evangelii  
restituta, & avide accepta est; quemadmodum nuper Prænobilissi-  
mus & Consultissimus Dominus BEGERUS, Patronus & Avunculus  
Tuus Æstumatissimus ex Actis & Documentis publicis illud ipsum  
repetiit. Sub manum tum venerat illustre argumentum: DE JU-  
DICIIS SANCTORUM SUPER MUNDUM. *Matth. XIX.*  
*28. col. 1. Cor. VI, 2.* Proinde non potui non hac occasione, Re-  
lationis illius luculentæ mentionem facere; nam & in Illa se pro-  
didere *Judicia* sanctorum, præsertim illius B. AULBERI Antisti-  
tis de Reuttlina purioribus sacris summe Meriti. Potuisset qui-  
dem argumentum prolixiori discussione & distinctione deductio-  
neque amplificari, cum imprimis a receptiore sententia discesseri-  
mus in explicandis locis adductis, & in amplissimum campum,  
Historiæ Ecclesiasticæ ita postulante Reipsa & Explicatione nostra,  
ingressi simus. Sed cum abitu maturares, jussu SUPERIORUM,  
consilium scribendi intra brevitatem coercendum fuit: Est tamen  
ampla materia hic in promptu, in qua industriam, & Ingenium  
exercere poteras. Nam cum inde ab eo tempore, quo hic com-  
moratus es studiorum causa, Pietatem, Modestiam, & in studiis  
sacris Constantiam probaveris, ac propterea ad Homilias publice  
e suggestu Templi nostri habendas admissus fueris, meisque vicibus  
functus sis; nullus dubitabam, conatus tuos in Cathedra Acade-  
mica non sine fructu fore. Quam ob rem Tibi gratulor animitus,  
DEUMque precor, ut salvum & in columen non modo in Patri-  
am reducat, sed & selectum ibi instrumentum ad amplificandam  
Ecclesiam, ornandamque Patriam evadas.

PRÆSES DISSERTATIONIS.